

lari videtur: quae assentatio et in ipsis Pastoris auctoritatis veneratio-  
nisque detrimentum verti consuevit. Nam si quum Pastor laudare debet  
ac vult fides ei haud adhibetur, omnis laudis vis disperditur: sique  
praecipua aemulationis adiumenta, veluti ludicrae res a fidelibus habe-  
rentur; nam *honor et gloria satietate languescunt*<sup>1</sup>. De cetero Sapientiae  
monitum extat: *Lauda virum post consummationem*<sup>2</sup>, et alibi: *laudavi  
magis mortuos quam viventes*<sup>3</sup>; quae tamen haud ita rigide accipienda  
sunt ut fidelium bene acta eorum in vita numquam laudentur. — Quin  
immo et post mortem tum in personis, tum in eorum operibus parce  
laudandis, quo dum veritati consultur, salutares laudationis effectus in  
viventes magis magisque augentur.

d) Distributive ac sincere laus decernenda est, de quibus  
quae ad rem mox recoluimus sufficient.

Coronidis ergo quae de iustitia et aequitate Pastoris in regimine  
servanda principia recoluimus, paucis colligimus. — Ut iustitia Pastoris,  
regimini debita, revera fidelibus benefica, ac ipsi liberatrix sit  
[*iustitia Rectorum liberabit eos*<sup>4</sup>] non corrigat ac puniat tantum, sed  
et laudet ac praemiet oportet. Et pastorali, enim, in regimine poenae et  
praemia veluti bina eius rotae fulcra habenda sunt, quorum si unum  
alterumve nutetur, ut et rota strepat primum, ac deinde diffingatur  
commiuaturque necesse est. — At ne tum poenae, tum praemia mor-  
bum mortemque quibus sanitatem vitamque afferre intendunt, inferant,  
ut in iustitia fundamentum sortiantur, in discretione ductricem<sup>5</sup> teneant,  
ac in caritate inspiratricem habeant, omnino decet. — Fulgidus, igitur ac  
beneficus iustitiae sol in pastoralis regiminis firmamento adeo semper,  
magis magisque in dies, resplendeat, ut quidquid passiones sapit valenter  
dissipando, omnes omniaque eo collustrentur, foveantur ac vivificantur  
uberrime. Tunc, enim, tantum, *iustitia ac iudicium [Pastoris] sedis pre-  
paratio ac correctio*<sup>6</sup> erunt, ac aequitatem videt vultus eius<sup>7</sup>, quibus  
*itinera devia, quae ad mortem ducunt*<sup>8</sup>, devitando, adeo fideles *iudi-  
cabit in aequitate*<sup>9</sup> ac *in ipsam vivificabit illos*<sup>10</sup>, ut in dilectae paroe-  
ciae castris [in quibus laetanter erunt] *in Domino qui dedit illis docto-  
rem iustitiae*<sup>11</sup>, laetari valeant, et *iustitiae armis a dextris et a sinistris*<sup>12</sup>

<sup>1</sup> Aristoteles, *Ethic.* Lib. I, cap. 5.

<sup>2</sup> *Eccles.* XI, 30.

<sup>3</sup> *Id.* IV, 2. — Cfr. *Id.* XI, 2.

<sup>4</sup> *Prov.* XI, 6.

<sup>5</sup> *Psalm.* XCVI, 2.

<sup>6</sup> *Id.* XX, 8.

<sup>7</sup> *Prov.* XII, 28.

<sup>8</sup> *Psalm.* LXVI, 5.

<sup>9</sup> *Id.* CXVIII, 40.

<sup>10</sup> *Joel.* II, 23.

<sup>11</sup> *II. Corinth.* VI, 7.

<sup>12</sup> *I. Joan.* V, 19.

muniti, ac per mundum totum in maligno positum<sup>13</sup> illaei pertransiendo,  
in Supernis Aeternae Patriae atris, sanctam, perpetuam, inviolabilemque  
Iustitiam, quae Ipse Deus est, assequi possint valeantque. *Diligite*, ergo,  
*iustitiam qui iudicatis terram*<sup>1</sup>, *pro iustitia agonizare et usque ad mor-  
tem certa pro ea*<sup>2</sup>.

#### CAP. IV.

#### DE BONI PASTORIS SCIENTIA

Articulus unicus.

##### QUAE ET QUANTA IN PASTORE ESSE DEBEAT.

###### § I. — De Pastoris scientia generatim spectata.

SUMMAE RERUM. — 155. Quanti intersit Pastorem doctum haberi. — 156. Quae  
eius scientia. — 157. Quantum scientiae in eo requiratur.

155. — Scientiam in Pastore necessariam prorsus esse tantae  
rationis persuasio est ut nulla demonstratione, sed enunciatione tantum  
indigeat. Siquidem qui ab Ecclesia ponitur paroeciam moderari nulla pro-  
fecto aliena utilitate tali perfundetur munere nisi, praeter vitae sanctitatem,  
prudentiam ac iustitiam, doctrina etiam fideles praebeat; non, enim, bonus Pastor, nisi et doctor. Nec tacendum tum fideles  
maiore sane reverentia teneri erga eum qui non solum probitate spe-  
ctabilis, sed etiam doctrina sit illustris, quum peculiarem honorem docto-  
viro conferre, maxime si hic vitae sanctitate gratus existat, altae doc-  
trinae proprium sit. Haec quidem sanctitas, profecto, primum et omnino  
necessarium ornamentum boni Pastoris esse debet, ac veluti substra-  
tum totius aedificii; verum et ipsum aedificium doctrinae superstruendum  
fundamento est, sine quo illius utilitas sane evanescit omnino. — Ita-  
que, Pastor, tot tantorumque nominum quibus doctus esse vir tenetur  
bene conscient, ut laude etiam doctrinae, spei quam de eo sibi repro-  
mittit Ecclesia apprime respondeat, omni contendat nisu; ac illud pree-  
oculis habens, hisce praesertim diebus, non progredi in via doctrinae

<sup>1</sup> *Sap.* I, I.

<sup>2</sup> *Eccles.* IV, 33.

idem esse ac regredi, constanti studio, de ea adipiscenda cogitet, nihilque ad rem intentatum dimittat. *Rex sapiens stabilimentum populi est*<sup>1</sup>.

**156.** — Quae scientia in Pastore requiratur praefiniri, generali ratione, non potest, nisi indolem ipsam ac naturam pastoralis regiminis recolamus eam esse potissimum, quae in fidelium sapienti cordis et mentis cultura consistit: cui culturae tum scientia ecclesiastica, tum profana ac, si ita loqui decet, diocesana multum afferunt emolumenti. Quamobrem Pastor:

a) Scientia prophana, eaque tum practica, tum theoretica, polleat. Ad rem vero:

I) Theoreticam perficiunt omnes scientiae ac litterariae rei cognitiones quas in politiori hominum societate omnes vere exculti viri possident, propter quas hi recentiora quaeque humanae mentis inventa ac cogitata referre et expendere norunt. — Maxime vero ei qui ad pastoralem moderationem destinatur, necessaria scientia est eorum legum ac documentorum quibus ars nobilissima regiminis in genere et potissimum illius animarum regitur: his si destituatur Pastor, initio nutans, in progressu haesitans, in exitu infelix, ut plurimum, invenietur. — Animarum vero Pastor ut quae civilis societatis cum paroecia relationum leges sint perbelle cognoscat necesse omnino est, ac liquido res patet.

II) Practica scientia, alio nomine, vitae sapientia dicitur, cuius virtute praecedens theoretica doctrina amittit quidquid ad arduum principiorum ac conceptuum dominium spectat difficultatis ac incertitudinis, ac veluti spiritu et sanguine actionis, et experientiae et cotidiani usū, in quibus multa docebit proiecta prudentia, perfluitur et vivificatur. Nam si Pastor doctrinae tantum et non actionis vir fuerit, magnus quidem habebitur fortasse in folio, parvus tamen in solio: plura diserte loquetur, plurima tamen male agendo perdet. Id autem multo magis praesentia tempora dedecet, quae, profecto, potius in oppositam partem nituntur, ac quidquid actuosum et practicum non est, vix non despiciunt contempnuntque.

b) Verum si haec de scientia profana existimatio et necessitas, multo maior scientiae ecclesiasticae ac diocesanae erit, de quibus mox dicemus.

**157.** — De huius scientiae et doctrinae in Pastore quantitate id tantum dicendum: quantum potes, tantum aude; quo magis egregia, quo excellentior doctrina, eo uberiorius Pastoris ministerium. Ceterum cavadum ne in huiusmodi quantitate magis latitudo quam altitudo do-

<sup>1</sup> Sap. VI, 26.

minetur: quum non quidem sciolas, sed vere sapiens Pastor commendari possit, ac non homines encyclopaedici qui dicuntur, sed revera docti et prudentes, immo magis sapientes quam scientes, muneri huic gerendo pares fiant. Quamobrem Pastorem illum qui scientia ecclesiastica, diocesana et practica excellens, in caeteris aurea mediocritate contentus fuerit, anteferendum existimamus.

## § II. De Pastoris scientia peculiari modo spectata.

SUMMAE RERUM. — 158. Animadversiones praeviae. — 159. Quae lex a Pastore dignoscenda. — 160. De eius interpretatione ac praxi. — 161. De legis promulgatione. — 162. Conclusio.

**158.** — Ne cunctae quas tum sanctitatis ac charitatis, tum prudentiae ac iustitiae hucusque tradidimus normae ad nihilum redigantur, neve Pastor per autocrathiae vel tyramnidis, fideles vero per anarchiae semitas deducantur, ut per legem, cum lege et sub lege paroeciam ipse regat prorsus expedit. Unde, enim, abest lex, ibi adest grex, qui potiusquam amore, ferulae sibiloque Pastoris parendo, magisquam ad pascua, ad tonsorem et lanistam ducitur. At *ignoti nulla cupido*, et si cupido mala cupido; proinde ut sui regiminis normas legesque Pastor cognoscat necesse est.

**159.** — Haec vero lex a Pastore apprime cognoscenda, aestimanda, colenda, tuenda, ac observanda, in generalem ac peculiarem dispesci potest, nimirum:

a) Lex generalis pastorale regimi praestituens normas tum a S. Canonibus, tum a SS. RR. Congregationum decretis praescribitur, et ut e duplice hoc saluberrimo salutis fonte aquam [fidelibus praebendam] Pastor continuo hauriat, quam maxime suademos. Nil, enim, in animarum regimine maioris momenti quam Ecclesiae menti omnimode obsequi.

b) Legem peculiarem dioecesis, seu synodi ordinationes ac decreta, quibus tantum caeterorum omnia officia optime geruntur, Pastor cognoscat omnino oportet. In quo, igitur, nullam omittere industriam ipse potest, sed adeo sollerter, continuo, ac perseveranter sueae dioecesis synodales regulas perlegere ac meditare ut fere memoria teneat, ac non litteram tantum, sed et eius immo spiritum fere in succum et sanguinem convertat. *In lege Domini voluntas eius, et in lege eius me-*

*ditabitur die ac nocte<sup>1</sup>: legem tuam in medio cordis mei<sup>2</sup>; non recedat, igitur, volumen legis ab ore tuo<sup>3</sup>.*

**160.** — Sed, vel ad hanc officialem legem interpretandam, vel ad eam in praxi deducendam peculiaria Pastoris iussa continentur, de quibus sequentia ad rem principia pree oculis habeantur :

- a) Non dominus, sed custos dispensatorque legum Pastor est.
- b) Lex ad fidelium bonum Pastori traditur.
- c) Lex pro hominibus condita est, et cum impossibilia non iubeat Deus, neque ea homines iubere possunt.
- d) Lex pro omnibus condita est, qui, coram lege, pares omnes sunt.

e) Fidelibus aliquid contra, vel supra legem praecipere Pastor nequit, illud iuxta Altissimi: *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo<sup>4</sup>.*

f) Leges non facile commutandae, nec facile super ipsis dispensandum. *Quum, igitur, necessitas urget, excusabilis dispensatio est: ubi utilitas provocat, laudabilis est: cum nil horum est, non plane fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est<sup>5</sup>.* — Attamen et hac in re ne quid nimis, et sicut iniusta poscentibus nullus est tribuendus effectus, ita legitima desiderantibus non est differenda petitio<sup>6</sup>. Quae omnia in ecclesiasticis praecepsis dispensatione locus obtinent, de quo inferius plures dicemus<sup>7</sup>.

**161.** Tandem et peculiares paroeciae traditiones ac consuetudines bono Pastor commendandae quam maxime, quum ex ipsis illud legis robur habeatur quo facilius prima ad proxim deducuntur. Idcirco, cum primum tuam pastoralem ingrederis ditionem, quae quoad Parochi cum fidelibus, in divini cultus exercitio traditiones consuetudinesque vigeant noscere curabis, easque [in quantum diversae circumstantiae suunt] ad unguem colebis. Hac ratione, dum complures in grege devitabis munitioes, et novitatum scopulum effugies, quod sane ad pastoralis regiminis bonum assequendum omnino pernecessarium.

**162.** — Tum humanae, tum divinae scientiae humiliter gestans facem in sui regiminis itineribus tam sapienter Pastor incedat, ut ad optimae christianaे observantiae metam fideles dilectos deducere

<sup>1</sup> Psal. I, 2.

<sup>2</sup> Psal. XXXIX, 9.

<sup>3</sup> Ios. I, VIII.

<sup>4</sup> Deuter. IV, 2.

<sup>5</sup> S. Bernardus, *De Consideratione*, Lib. III, Cap. 4.

<sup>6</sup> Gregor. Magn. *Epistolar. Lib. III, indic. 6. Epist. 3, ad Adeodatum.*

<sup>7</sup> Cfr. indic. alphabetic., *Dispensatio, Praecepta.*

ipse valeat. Perplurima, enim, eaque gravissima per hanc gradientibus viam ab inimico homine eis ponи obstacula nemo ignorat, quae quomodo superari possint edocere ac adiuvare Pastoris est, qui non propter corpus tantum, sed, in primis et ante omnia, propter christifidelium animas regiminis curam suscepit. At, *luctandum est cum hostibus non imperitis qui ad elegantiam studiorum, scientiam saepe dolis consultam adiungunt, quorum speciosae vibrantesque sententiae magno verborum cursu sonituque feruntur, ut in iis videatur quasi quid peregrinum instrepere.* Quapropter experienda mature sunt arma, hoc est optima doctrina seges comparanda omnibus quicumque sanctissimi perarduisque muneribus in umbratili vita se accingunt<sup>1</sup>. Sed quomodo, quaeso, haec omnia Pastor ille tum in se, tum in fidelibus prestabit qui qua via gradiendum sit, ipse ignoret? Ut, igitur, scientiae merum sibi animabusque Pastor propinare valeat, sibi assidue comparet, quo propria potestate haud abutendo, viam, veritatem ac vitam dilectis filiis erit. *Qui docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti<sup>2</sup>.*

Quae de Pastoris persona [ex dicendis magis eliquanda] quibus, nostris pro viribus, pulchram ac fere supernam eius effigiem exculpere contendimus, hisce absolvuntur. — Sancta ac aliquid divini praeserens boni Pastoris imago, dummodo fulgens sanctitatis caritatis que diademata gestet in capite, validam prudentiae loricam ferat in pectore, scientiae facem in dextera praferat, ac iustitiae stateram in sinistra protendat. Hisce, enim, tantum, praeclarum exemplum ac adiumentum praebendo fidelibus, in peracerbo huius mortalis peregrinationis aequore, ac in arduis christianaे observantiae itineribus, dux praevalidus, protectio firma, insigne solatium ipsis Pastor erit. — Neque in his adipiscendis adhibendisque virtutibus numquam satius se fecisse existimet Pastor; in his, enim, non progredi regredi est, et tantae molis ac momenti quippe pastorali evadit regimen, ut, haec in humanis, numquam satis attingi servarique possint. In sanctitatis, igitur, caritatis, prudentiae ac scientiae arduis semitis adeo perseveranter incedat Pastor, ut Deo acceptus, spiritualibus dilectisque filiis revera utilis, Sanctae Ecclesiae gratus, ex praeclaris eius filiorum gestis, hic in

<sup>1</sup> Pius PP. X, Motu Proprio, *Sacror. Antistitium*, I octobr. 1910.

<sup>2</sup> Daniel, XII, 3.

terris [in quantum licet] gaudium, in aeternitate vero sanctae haereditatis coronam a Domino accipiat. Tunc ante Tronum Altissimi prostratus ac fidelium suorum plaudente caterva Pastor circumdatus, Psalmistae illa una cum ipsis, laetanter canebit: *Custodiens parvulos Domini humiliatus sum et liberavit me<sup>1</sup>; semen Israel servi Eius, filii Iacob electi eius<sup>2</sup>; confitemini Domino quoniam bonus<sup>3</sup>, quia in omnia saecula misericordia Eius<sup>4</sup>.*

<sup>1</sup> *Psalm.* CXIV, 6.

<sup>2</sup> *Id.* XXI, 25.

<sup>3</sup> *Judit.*, XIII, 21.

<sup>4</sup> *Daniel.* III, 90.

---

PARS ALTERA

DE  
BONI PASTORIS  
OPERA

EIUSQUE PECULIARIBUS OBLIGATIONIBUS

---

Quemadmodum in salutari addiscenda arte, si generalia tantum principia legesque quibus humani corporis oeconomia firmatur ac regitur, et rationes quibus universim vires nostras aggredi et extenuare morbi valent cognoscantur ac perspiciantur minime sufficit, sed per singulas doctrinae partes regulasque discurrere, immo veluti singularum affectionum origines, progressus et decrementa scrutare, singularumque medicinarum attingere virtutes oportet; ita et nobis, postquam praecipuas at generales, pastoralis regiminis recoluimus normas, peculiarem eorum praxim investigare ac in re agendi rationem practicam memorare oportet. Ad hoc vero [brevitatis perspicuitatisque caussa] si quid cum singulis qui vel in Pastoris sollicitudinis partem vocantur [eius Praepositi ac aequales], vel eius curae subsunt [Coadiutores ac fideles scilicet] praestare ipse debet memorabimus, satis nos acturos existimamus. De his, igitur, ex ordine [canonicis, ut plurimum, adductis normis] concinne at ad bonum pastoralis assequendum regiminis quod satis fuerit, recolemus. Sed in primis et ante omnia, quaedam praeliminaria praecedent oportet.